

W. 241  
33

Z 6  
1330

X 2044737

AD VIRUM EXCELLENTISSIMUM  
**L. JOACHIMUM FELLERUM,**

*P.P. Lipsiens.*

DE ELEGIA IPSIUS  
*in obitum beatissimum*

VIRI CLARISSIMI

**CHRISTIANI DAUMII,**

CRITICI ADMODUM CELEBRIS ET  
LYCEI CYGNEI RECTORIS

*Elegidion*

**M. JOHANNIS JACOBI STUBELII**  
*Reſtoris Lycei Annamontani.*

---

ANNÆBERGÆ Typis DAVIDIS NICOLAI, 1688.



AD VIRUM EXCELLENTISSIMUM  
L. JOACHIMUM FELLERUM

P. R. Lipsiae  
DE REGIA IPSIUS  
in obitu beatissimi

VIRI CLARISSIMI  
CHRISTIANI DAUMII  
CRITICE AD MODUM CERRISSI  
LACRI CYCNEI RECTORIS

Erghilou  
M. JOHANNIS JACOBI STREBELII  
Hederae Lipsiae Amatorum

---

ANNIVERSARIE JOH. DAUMII NICOLAI, 1688.





Elle putet tinctam, quæ DAUMI nuntia  
mortis,

Flexanimam crenam, qui volet, esse tuam.

O FELLERE, Decus Pindi, Philuræaque stella;  
Felle cares, & quæ sunt tua, melle madent.

Sive per immunem sermonem lege feratur

Pagina, quæ loquitur, scriptio melle madet.

Sive canas numeris inclusâ voce modisq;

Imparibus, liquidò cantio melle madet.

Melleus es totus: Quæ das, sunt dulcia mella:

Siquid inest fellis, mellificare studes.

Fella videbantur, vel si quid amarius illis,

Hæc: Cecidit Cygnus DAUMIUS ille meus!

Fella sed ipsa statim redolenti melle fluebant:

Sardinie nec erat, quale sed Hybla daret.

Præcipitis Parcas non versibus arguis iræ:

Non agis invidia sevitiaq; reas.

Indolis hoc sineret vis mansuetissima nunquam.

Ista cupis credi mitia fata Seris.

Ulte-

Ulteriora quidem studio confectus & ævo  
Quæ peteret votis non habiturus erat,  
Et quis non facili plausu sectetur olorem,  
Littora quem repetunt illa beata sibi?  
Mittimus à nobis agrè tot pulchra? Fuisset  
Ægrius hîc illi continuare moras.  
Deserat hos fines: Faustissima verba relicta  
Sunt desiderium quæ minuisse valent.  
Ista tibi profunt: tibi sunt ea nectaris instar,  
Orme nec his gazis equiparanda tuis.  
Sentio fel nullum de verbis verba legendo  
Hæc tua mellifluis mellea; melle mades.  
Nil magis optandum similis de corde profecta  
Quàm Præceptorum dictio quamq; Patrum.  
Quicquid contigerit victuro mellis, id inde:  
Adversi citior fellis & inde fuga.  
Me recreant semper morituri verba Parentis,  
VVILKIUS & donans me rude quanta dedit;  
VVILKIUS Aonia nitidissima gloria turba,  
Pectora qui finxit pollice cruda suo,  
Formavitq; rudes sensus & semina sparsit.  
Quàm bonus & verè candidus ipse fuit?  
Quàm me doctrinæ succo meliore rigavit?  
Quàm stetit ad finem sancta tenaxq; fides?  
Quàm meminisse mihi jucundum temporis ejus,  
Condere quò licuit mellea dicta Viri?

Dicta

Dicta Viri, quæ non Zephyri rapiere volantes,  
Nulla dies memori deflua mente feret.  
Illi non fuerat satis optima quæque precatum  
Esse mihi: fuerat me docuisse parum.  
Cum mihi per festas esset SCHILLINGIA tædas  
E sibi per charâ nupta petenda domo,  
In quâ, fata vide! denos antè obuius annos  
Testantes tabulas, quæ mihi vita, tulit;  
Munera depromit, reparatq; calentia verba  
Conjugibusq; novis prospera multa vovet.  
Vita, salus, soles felices, commoda larga  
Litterulis socero concinere datis.  
Incrementa etiam fœcundaq; fœdera vidi,  
Quæ ferè fatidicâ voverat ipse manu.  
Augurium letum capit hinc mens leta: vicissim  
Jam docto capiti nil nisi leta vovens.  
Discipulos verò heu! studiosos sæpè sinistri  
Quæ rabies agitat, quæ mala scæva parit?  
Tegula cum saxis illideret alta caducum,  
Vulnere quàm diro viscera scissa putem?  
Pondere quo Rammus de ramo pendulus urget  
Nunc animos? Ejus pars fuit ille scholæ.  
O utinam nunquam pars agminis ille fuisset  
Pieridum, nunquam pars hominumq; gregis!  
Non quateret mœror veteris pia corda Magistri,  
Leucoreæ casus nec foret iste gravis.

Quæ

Quærerere pro Lauri non quercum fronde liberet,  
Non restis testis perfidiaq̄ foret.  
WILKIU Shæc audit FUNGERI funera deflens,  
Qui præmature funere raptus erat;  
Mergitur & lacrymis. Opera nunc pœnitet ipsum.  
Quod non crediderat publica fama refert.  
Proh dolor! Huc recidit nonnunquam nixa

papyro  
Spes Præceptorum spesq̄ animosa Patrum.  
Hæc fortuna rotat Libethria sacra docentes.  
Afflictos homines non magis orbis alit.  
Improbis ille labor vexat noctesq̄ diesq̄,  
Et subigit miseros improbus ille labor,  
Sollicitamq̄ facit lucem petulantia: nostrum  
Exercent variè mille pericla genus.  
Cumq̄ laborantes fructu mulcente caremus,  
Mordet & elusos angit & iste dolor:  
Tum magis excruciat nos barbara lingua, laboris  
Sæpius interpres prorsus iniqua prohi.  
Et quæ non patimur? Quoties ea cogito  
mecum,

Esse rudis cœtus portio sæpè volo.  
Sed tu propinas solatia suavia fesso,  
Discipuli grati dulcis imago mihi.  
Tædia qui fueram mala se vaq̄ tanta perosus,  
Elicio flammæ concipioq̄ novas.

Jam

Jam tenero rursus Musarum tangor amore:

In tepidas venas casta libido redit.

Jam Schola fit demùm Paradisus: cura voluptas

Mollior est, præstat gaudia grata metus,

Contemptusq; juvat, spes fataque mollia spondent

Ambigua. Quin & ferre ferenda juvat.

Nil superest mæsti: faciem dant omnia lætam,

Noloq; jam sortis de feritate queri.

Amplius & minimè languentia brachia stringo,

Ut faciam promptè nec dubitanter opus.

Pelion ac Oßam de presso vertice demis

Tu FELLERE mihi, duraq; cuncta levas.

Tu Præceptores terrestria numina censes.

Consiliis pubem corrigis atq; minis.

Hecq; ubi suppeditas, suavissimus audit amicus,

Qui quocunq; jubes tempore servus erit.

Perlego: CARPZOVIIUS numeros mihi mittit

eosdem

Magnus Apollo mihi, vester & urbis honor.

Chartaq; dum titulos nullos ea sustinet ima,

A te, quos monstrat, quæ mihi missa fuit;

Admonet illa tui Candoris candida charta:

Non minùs hæc scriptò nomine signa placent.

Non niger est cygnus: cujus lac penna nivesq;.

Cygnus es & cygni candidior nivibus.

Can-

Candide Cygne, tuo pridem celeberrime cantu,  
Quo vitrea Plissa garrula ripa tumet.  
Hic si raucisoni quid perstrepit alitis, Ingens,  
Raucisonum noli spernere, Cygne, melos.  
Nobilia colas Vates licet optime rura,  
Non tibi despectus noster agellus erit.  
Hoc tua dulcis erit conspectior illa Venustas:  
Nostra quidem fuerint quò leviora tuis.  
Vivat ovetque suis in scriptis DAUMIUS atque  
Carminè mellito vivat ovetq; tuo.  
Verbaq; letitiam tibi concessura perennem  
Ultima scripta pii sint rata cuncta Senis.  
Sic FELLERE nihil degustes Fellis & inter  
Nectareos fluctus mellaque bella nates,  
Donec magna novas inter tres stella micabis  
In Cygni summo sidere quarta Polo.



Ab 1330 OK

mc



W. 241  
33

AD VIRUM EXCELLENTIS  
L. JOACHIMUM FE.

P.P. Lipsiens.

DE ELEGIA IPS  
in obitum beatissimi

VIRI CLARISSIMI


CHRISTIANI DA

CRITICI ADMODUM CE  
LYCEI CYGNEI RECT

Elegidion

M. JOHANNIS JACOBI S  
Refforis Lycei Annamont.

ANNÆBERGÆ Typis DAVIDIS N



737

